

Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

**Terentivs,|| A` M. Antonio Mvreto|| locis prope
innumerabilibus|| emendatus.||**

Terentius Afer, Publius

Venetiis, 1558 [erschieden] 1559

Actvs Tertii

[urn:nbn:de:gbv:45:1-723936](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:gbv:45:1-723936)

P. Quid istuc? si certum est facere, faciam. uerum ne post
conferas

Culpam in me. C. non faciam. P. iubes ne? C. iubeo, co
go, atque impero.

P. Nunquam defugiam auctoritatem: sequere. C. dii uora
tant bene.

ACTVS TERTII SCENA I.

T H R A S O, G N A T H O,
P A R M E N O.

T. Agnas uero agere gratias Thais mihi.

G. m Ingentes. T. ain' tu, lata est? G. non tam ip
so quidem

Dono, quàm abs te datum esse: id uero serio

Triumphat. P. huc prouiso, ut, ubi tempus fiet,

Deducam, sed eccum militem. T. est istuc datum

Profecto mihi, ut sint grata quæ facio omnia.

G. aduorti hercle animum. T. uel rex semper maxumas

Mihi agebat, quicquid feceram, alijs non item.

G. Labore alieno magno partam gloriam

Verbis sæpe in se transmouet, qui habet salem:

Qui in te est. T. habes. G. rex te ergo in oculis. T.

scilicet.

G. Gestare. T. uero. credere omnem exercitum,

Consilia. G. mirum. T. tum sicubi eum satietas

Hominum aut negocii si quando odium ceperat,

Requiescere ubi uolebat, quasi: nostin' ? G. scio.

Quasi ubi illam expueret miseriam ex animo. T. tenes.

E V N V C H V S

- Tum me conuiuiam solum abducebat sibi . G. hui ,
 Regem elegantem narras . T. immo sic homo
 Est perpaucorum hominum . G. immo malorū arbitror,
 Si tecum uiuit . T. inuidere omnes mihi ,
 Mordere clanculum : ego non flocci pendere :
 Illi inuidere misere . uerum unus tamen
 Impense , elephantis quem Indicis præfecerat,
 Is ubi molestus magis est , quæso , inquam , Strato
 Eo ne es ferox , quia habes imperiū in belluas ?
 G. Pulchre mehercle dictum , & sapienter . papæ ,
 Iugularas hominem . quid ille ? T. mutus illico .
 G. Quid ni esset ? P. dij uostram fidem , hominem perditū ,
 Miserumq; , & illum sacrilegum . T. quid ilud Gnatho ,
 Quo pacto Rhodium tetigerim in conuiuiō ,
 Nunquid tibi dixi ? Gn. nunquam : sed narra obsecro .
 Plus millies iam audiui . T. una in conuiuiō
 Erat hic , quem dico , Rhodius adolofcentulus .
 Forte habui scortum : cœpit ad id alludere ,
 Et me irridere . quid ais , inquam , homo impudens ?
 Lepus tute es , et pulpamentum quæris . G. ha , ha , hæ .
 T. Quid est ? G. facete , lepide , laute , nihil supra .
 Tuum obsecro ne hoc dictum erat ? uetu' credidi .
 T. Audieras ? G. sæpe ; & fertur in primis . T. meum est .
 G. Dolet dictum imprudenti adolofcenti , & libero .
 P. At te dij perdant . G. quid ille quæso ? T. perditus .
 Risu omnes , qui aderant , emoriri . denique
 Metuebant omnes iam me . G. non iniuria .
 T. sed heus tu purgon' ego me de istac Thaidi ,
 Quòd eam me amare suspicatur ? G. nihil minus ,
 Immo magis auge suspicionem . T. cur ? G. rogas ?

Scin'?

Scin' ? si quando illa mentionem Phædriæ
Facit, aut si laudat, te ut male urat. T. sentio.

G. Id ut ne fiat, hæc res sola est remedio.
Vbi nominabit Phædriam, tu Pamphilam
Continuo. si quando illa dicet, Phædriam
Comessatum intromittamus: tu, Pamphilam
Cantatum prouocemus. si laudabit hæc
Illius formam: tu huius contra. denique
Par pro pari referto, quod eam remordeat.

T. Siquidem me amaret, tum istuc prodesset Gnatho.

G. Quando illud, quod tu das, expectat, atque amat;
Iam dudum amat te; iam dudum illi facile fit,
Quod doleat: metuet semper. quem ipsa nunc capit
Fructum, ne quando iratus tu alio conferas.

T. Bene dixti, at mihi istuc non in mentem uenerat.

G. Ridiculum: non enim cogitaras: ceterum,
Idem hoc tute melius quanto inuenisses Thraso?

ACTVS TERTII SCENA II.

THAIS, THRASO, PARMENO,
GNATO,
PYTHIAS.

Th. Vdire uocem uisa sum modo militis:
a Atque eccum. salue mi Thraso. To Thais
mea,

Meum suauium, quid agitur? ecquid nos amas
De fidicina istac? P. quàm uenuste. quod dedit

Principium

Principium adueniens. TH. plurimum merito tuo.
 G. Eamus ergo ad cenam: quid stas? P. hem alterum.
 Ex homine hunc natum dicas. TH. ubi uis, non moror.
 P. Adibo, atque assimulabo, quasi nunc exeam.
 Ituran' Thais quopiam es? TH. ehem Parmeno,
 Bene fecisti: hodie itura. P. quò? TH. ecquid hūc uides?
 P. Video, & me tædet, ubi uis, dona assunt tibi
 A' Phædria. TH. quid stamus? cur non imus hinc?
 P. Quæso hercle ut liceat, pace quod fiat tua,
 Dare huic quæ uolumus, conuenire & colloqui.
 Thr. Perpulchra credo dona, haud nostris similia.
 Pa. Res indicabit. heus iubete istos foras
 Exire, quos iussi. ocyus procede tu huc.
 Ex Aethiopia est usque hæc. T. hic sunt tres minæ.
 G. Vix. P. ubi tu es Dore? accede huc. hem eunuchū tibi
 Quàm liberali facie, quàm ætate integra?
 Th. Ita me di ament, honestus est. P. quid tu ais Gnathos?
 Nunquid habes, quod contēnas? quid tu autē Thrasos?
 Tacent: satis laudant. fac periculum in litteris,
 Fac in palastra, in musicis. quæ liberum
 Scire æquom est adolescentem, solertem dabo.
 Thr. Ego illum eunuchum, si sit opus, uel sobrius.
 P. Atque hæc qui misit, non sibi soli postulat
 Te uiuere, & sua caussa excludi ceteros:
 Neque pugnas narrat, neque cicatrices suas
 Ostentat: neque tibi obstat: quod quidam facit.
 Verum, ubi molestum non erit, ubi tu uoles,
 Vbi tempus tibi erit, sat habet si tum recipitur.
 Thr. Apparet seruom hunc esse domini pauperis,
 Miseriq;. G. nam hercle nemo posset, sat scio,

Qui



Qui haberet qui pararet alium, hunc perpeti.

P. Tace tu: quem esse ego puto infra omnes infimos
Homines: nam, qui huic animum assentari induxeris,
E' flamma te petere cibum posse arbitror.

Thr. Iam ne imus? TH. hos prius introducam, et, quæ uolo,
simul imperabo: postea continuo exeo.

Thr. Ego hinc abeo: tu istam opperire. P. haud conuenit
Vna cum amica ire imperatorem in uia.

Thr. Quid tibi ego multa dicam? domini similis es.

G. Ha, ha, hæ. T. quid rides? G. istuc, quod dixti modo:
Et illud de Rhodio dictum in mentem uenit.

Sed Thais exit. T. abi: præcurre, ut sint domi

parata omnia. G. fiat. TH. diligenter Pythias

Fac cures, si Chremes huc forte aduenerit,

Ut ores primum ut maneat: si id non commodum est,

Ut redeat: si id non poterit, ad me adducito.

Py. Ita faciam. TH. quid? quid aliud uolui dicere?

Hem, curate istam diligenter uirginem.

Domi assitis, facite. T. eamus. TH. uos me sequimini.

ACTVS TERTII SCENA III.

CHREMES, PYTHIAS.

Ch. Profecto quanto magis magisq; cogito,

p Nimirum dabit hæc Thais mihi magnum ma-
lum:

Ita me uideo ab ea astute labefactarier.

Iam tum, cum primum iussit me ad se accersier,

(Roget quis, quid tibi cum illa? ne noram quidem)

Vbi

E V N V C V S

Vbi ueni, caussam, ut ibi manerem, repperit:
 Ait rem diuinam fecisse, & rem seriam
 Velle agere mecum. iam tum erat suspectio,
 Dolo malo hæc fieri omnia. ipsa accumbere
 Mecum, mihi sese dare, sermonem quærere.
 Vbi friget, huc euasit, quàm pridem pater
 Mihi & mater mortui essent. dico, iam diu.
 Rus Sunij ecquod habeam, & quàm longe à mari.
 Credo ei placere hoc: sperat se à me auellere.
 Postremo, ecqua inde parua perisset soror;
 Ecquis cum ea una; quid habuisset, cum perit;
 Ecquis eam posset noscere. hæc cur quæritet?
 Nisi illa forte, quæ olim perijt paruola
 Soror, hanc se intendit esse, ut est audacia.
 Verum ea si uiuit, annos nata est sedecim,
 Non maior: Thais, ego quàm sum, maiuscula est?
 Misit porro orare, ut uenirem serio.
 Aut dicat quid uolt, aut molesta ne siet.
 Non hercle ueniam tertio. heus. heus. Py. hic quis est?
 Ch. Ego sum Chremes. Py. o capitulum lepidissimum.
 Ch. Dico ego mi insidias fieri? Py. Thais maximo
 Te orabat opere, ut cras redires. CH. rus eo.
 Py. Fac amabo. CH. non possum, inquam. Py. at apud nos
 hic mane,
 Dum redeat ipsa. CH. nihil minus. Py. cur mi Chremes?
 Ch. Malã rem. abis hinc? Py. si istuc ita certum est tibi,
 Amabo, ut illuc transeas, ubi ila est. CH. eo.
 Py. Abi Dorias, cito hunc deduce ad militem.

ACTVS

ACTVS TERTII SCENA IIII.

A N T I P H O .

A. Eri aliquot adolescentuli coijmus in Piræeo,
 h In hunc diem ut de symbolis essemus. Chæ-
 ream ei rei

præfecimus: dati annuli: locu', tēpus cōstitutum est.
 Præterijt tēpus: quo in loco dictum est, parati nihil est.
 Homo ipse nusquam est: neque scio, quid dicam, aut
 quid coniectem.

Nunc mihi hoc negoci ceteri dedere, ut illum quæram:
 Idq; adeo uisam, si domi est. quisnam hinc à Thaide
 exit?

Is est, an non est? ipsu' est. quid hoc hominis? qui est hic
 ornatus?

Quid illud mali est? nequeo satis mirari, neque con-
 iocere.

Nisi quicquid est, procul hinc libet priu', quid sit, sci-
 scitari.

ACTVS TERTII SCENA V.

CHAEREA, ANTIPHO.

Ch. Vm quis hic est? nemo est. num quis hinc
 n me sequitur? nemo homo est.

Iam ne erumpere hoc licet mihi gaudium? pro
 Iupiter,

Nunc

Nūc tempu' profecto est, cū perpeti me possum interfici:
 Ne uita aliqua hoc gaudium contamine't ægritudine.
 sed neminem ne curiosum interuenire nunc mihi,
 Qui me sequatur, quoquò eā, rogitando obtūdat, enicet,
 Quid gestiam, aut quid lætus sim, quò pergam, unde
 emergam, ubi siem
 Vestitum hunc nactus, quid mihi quæram, sanus sim
 an ne insaniam?

A. Adibo, atque ab eo gratiã hanc, quam uideo uelle, inibo.
 Chærea, quid est quòd sic gestis? quid sibi hic uestitus
 quærit?

Quid est, quod lætus sis? quid tibi uis? satis ne sanus?
 quid me

Aspectas? quid taces? CH. o festus dies hominis: amice
 Salue: nemo omnium est, quem ego magi' nunc cupere
 uidere.

A. Narra istuc quæso quid fiet. CH. immo ego te obs. cro
 hercle, ut audias.

Nostin' hanc, quã frater amat? A. noui, nempe opinor
 Thaidem.

CH. Istã ipsam. A. sic commemoreram. CH. quædam hodie
 est ei dono data

Virgo. quid ego eius tibi nunc faciẽ prædicem, aut lau-
 dem Antipho,

Cum ipsum me noris, quã elegans formarum spectat-
 tor siem?

In hac commotus sum. A. ain' tu? Ch. primam dices, scio,
 si uideris.

Quid multa uerba? amare coepi. forte fortuna domi
 Quidam erat eunuchus, quem mercatus fuerat fra-
 ter

ter Thaidi:

Neque is deductus etiam tum ad eam. summoit me
Parmeno

Ibi seruus, quod ego arripui. A. quid id est? C. tacitus,
citius audies.

Vt uestem cum illo mutem, & pro illo iubeam me illuc
ducier.

A. Pro eunuchon? C. sic est. A. quid tandem ex ea re ut ca-
peres commodi?

Ch. Rogas? uiderem, audirem, essem una, qua cum cupie-
bam Antipho.

Num parua causa, aut parua ratio est? traditus sum mu-
lieri.

Ulla illico ubi me accepit, læta uero ad se abducit domum,
Commendat uirginem. A. cui? tibi ne? Ch. mihi. A. sa-
tis tuto tamen.

C. Edicit, ne uir quisquam ad eam adeat, & mihi, ne ab-
scedam, imperat,

In interiore parte ut maneam solus cum sola. annuo,
Terram intuens modeste. An. miser. Ch. ego, inquit, ad
cenam hinc eo:

Abducit secum ancillas: pauca, quæ circum illam es-
sent, manent

Nonitiæ puellæ. continuo hæc adornant, ut lauet.

Adhortor, properent. dum apparatur, uirgo in concla-
ui sedet,

Suspectans tabulam quandam pictam, ubi inerat pictu-
ra hæc, Iouem

Quo pacto Danaæ misisse aiunt quondam in gremium
imbrem aureum.

Egomet

Egomet quoque id spectare coepi: & quia consimilem
luserat

Iam olim ille ludum, impendio magis animu' gaudebat
mibi,

Deu' sese in homine' couertisse, atque per alienas regulas
Fucū factum mulieri, uenisse per impluuium clanculū.
At quem Deum? qui templa cæli summa sonitu cōcutit.
Ego homuncio hoc non facerem? ego uero illud feci, ac
lubens.

Hæc dū mecū reputo, accersitur lauatu' interea uirgo,
It, lauit, redit: deinde illam in lecto illæ collocarunt.
Sto expectans, siquid mihi imperent: uenit una, heus
tu, inquit, Dore

Cape hoc flabellum, & uentulum huic sic facito dum
lauamur.

Vbi nos lauerimus, si uoles, lauato. accipio tristis.

A. Tum equidē istuc os tuum impudēs uidere nimiū uellem,
Status quis esset, flabellum tenere te a sinum tantum.

C. Vix elocuta est hoc, foras simul omnes prouunt se:
Abeunt lauatu', per strepūt, ita ut fit, domini ubi absunt.
Interea somnus uirginem opprimit. ego limis aspecto
Sic per flabellum clanculum, et simul alia circumspecto
Satin' explorata sint. uideo esse: pessulum ostio obdo.

A. Quid tum? CH. quid tum fatue? A. fateor. CH. egon'
occasionem

Mihi ostentatam, tā breuē, tā optatam, tam insperatam,
Amitterē? tum pol ego is essem uere, qui assimulabar.

A. Sane hercle ut dicis. sed interim de symbolis quid a-
ctum est?

C. Paratum est. A. frugi es: ubi? domin'? C. immo apud
libertum

E V N V C H V S

Tun' in conuiuium illā? miles tendere. inde ad iurgium.
Interea aurum sibi clam mulier demit, dat mihi ut
auferam.

Hoc est signi, ubi primū poterit, sese illinc subducet, scio.

ACTVS QVARTI SCENA II.

PHAEDRIA.

Um rus eo, coepi egomet mecum inter uias,
d Ita ut fit ubi quid in animo est molestiae,
Aliam rem ex alia cogitare, & ea omnia in
Peiorem partem. quid opū est uerbis? dum hæc puto,
Præterij imprudens uillam, longe iam abieram,
Cum sensi. redeo sursum, male uero me habens.
Vbi ad ipsum ueni diuerticulum, constiti:
Ocepi mecum cogitare, hem biduum hic
Manendum est soli sine illa? quid tum postea?
Nihil est. quid? nihil? si non tangendi copia est,
Eho ne uidendi quidem erit? si illud non licet,
Saltem hoc licebit. certe extrema linea
Amare, haud nihil est. uillam prætereo sciens.
sed quid hoc quod timida subito egreditur Pythias?

ACTVS QVARTI SCENA III.

PYTHIAS, DORIAS, PHAEDRIA.

Py. Bi illum ego scelerosum misera, atque im-
u pium inueniam? aut ubi
Quæram?